

B. M. II, 86.  
A. 16, 17.

(X7880754)



D. A.  
DISSERTATIO

DE

SEPTEMVIRIS

SEVELECTORIBVS

GERMANORVM REGNI ET

IMPERII ROMANI.

QVAM

PRÆSIDE

*Viro Magnifico, Excellentissimo &  
Experientissimo*

HERMANNO CONRINGIO,

Phil. & Med. Doct. hujusq; P.P. ac p. t.

Vice-Rectore Magnifico, hospite & Præ-  
ceptore suo colendo,

*Publicè examinandam proponit*

IN NOVI IVLÆI AUDITORIO MAIORI

Ad diem vii. Septemb.

HENRICVS VVILHELMVS Bape.

HELMESTADII

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typog.

c15 15 c XLIV.

16

2.14



SERENISSIMIS, CELSISSIMIS.  
QUE PRINCIPIBVS AC  
DOMINIS,

DN. CHRISTIANO  
LVDOVICO,

DN. GEORGIO WIL-  
HELMO,

Ducibus Brunsvicensium & Lu-  
neburgensium



ATRIBVS GERMANIS,

Dominis suis Clementissimis,

*Felicitatem perpetuam.*



*Erenissimi Celsissimique Principes,  
Domini Clementissimi, Annus jam  
agitur quintus cum Celsit. V.V. in  
Belgium iter asriperent: Ea tum  
mihi contigit felicitas, quam opta-  
ram semper sperare ausus fueram nunquam ut  
liceret mihi in comitatu Celsit. VV. esse, & ea-  
rum donec luctuosissimus Divi Georgii, Paren-  
ti vestri, obitus Celsit. VV. ad patria curam re-  
vocaret, quotidiano ferè aspectu & alloquio frui.*

*Etsi*

*Etsi autem omni studio tum in id incubuerim, ut, quæ debeam præstare Celsit. VV. obsequia; vereor tamen, ne adolescens, quid tantis deberetur Principibus, attendere potuerim: eoq; nomine est quod Celsitudines VV. humilime obsecrem, velint clementer meæ ignoscere adolescentiæ. Redii hinc ad vestram, Serenissimi Principes, Academiam, ibiq; Viris summis, & quorum doctrina etiam apud exteros celebrari meruit, usus Præceptoribus porro studiis meis consulere conatus sum. Nunc Gallias quoq; & Italiam, licet graves fore Patri meo, miserrimis his temporibus, sumptus videam, fretus tamen Amicorum & divino imprimis auxilio, prima quaque die petere, visisq; variis populorum institutis & moribus, inde quoq; quod ad rem meam faciat, haurire, decrevi. Omnino autem mihi faciendum putavi, ut antequam huic me accingerem itineri, aliquod extaret, qualecunq; tandem, meæ erga Celsitudines vestras obedientiæ monumentum Ausus itaq; sum theses has, quas conscripsi, Academicas humilime Celsitud. VV. offerre. Indignas eas esse summorum Principum aspectu, haud diffiteor: at liceat thura non*

habenti, sale & farre tosto libare. Natus edu-  
catusq; in terris Celsit. *VV.* omnia Celsit. *VV.*  
debeo. Et vero utinam aliqua tandem qua in  
Celsitudinum vestrarum commodum veherent,  
à me proficisci possent! Equidem omni opera  
hoc unum agam. Interea Serenissimi Principes,  
Domini clementissimi, humilimà veneratione  
Celsitudines *VV.* rogo, velint me quoque subdi-  
tum suum, sua tam illustri apud omnes cle-  
mentia, prosequi. Valete Serenissimi Principes,  
Domini Clementissimi, & eterno harum ter-  
rarum bono diu feliciterq; regnate. Dabam  
Helmsteti die 2. Septembr. Anno *CIC IC C XLIV.*

Celsitudinum *VV.*

servus humilimus

HENRICVS *VV*ILHELMVS Bape.

D.O.M.A.



D. O. M. A.

*DE*

ELECTORIBVS SEV  
SEPTENVIRIS REGNI ET IM-  
PERII ROMANI GERMA-  
NORVM.

*THESIS I.*



Republica Romana ab ini-  
tio Reges, mox Consules, Tribu-  
nos, Dictatores, aliosque Magistra-  
tus habuit, donec varijs agitatam  
seditionibus, post gravissimas Ma-  
rij & Syllæ digladiationes, Cæsar  
Julius Cæsar devicto Pompejo, sub  
nomine Dictatoris, unius iterum  
potestati subjecit. Ejus ex sorore nepos, filiusque ad-  
optivus Octavianus, patris interfecto-  
rum inimicis devictis, cœptum à patre  
opus foeliciùs pertexit, fessamque  
Rempublicam sub nomine Principis  
omnem in suam potestatem redegit:  
Estque ijs artibus ab eo stabilibus  
Principatus, ut immotus postea  
steterit. Ei post longam felicissimamque  
dominationem defuncto successit  
Tiberius, Tiberio Cæsar, uterque ex  
adoptione. Cæterum interfecto ob  
horrenda scelera Cæsar, eum, qui  
jure hæreditario succederet non  
esset, rerum omnium ad Senatum  
populumque Romanum, videbatur  
rediisse

A 3

summa,



summa, iisque omni jure licere quem vellent sibi præficere: Verum ea fuit militum potentia, ut in consulto Senatu hoc sibi juris sumerent. *Dio Cassius lib. 60. Cajo mortuo Consules, dimissis in omnes partes urbis custodibus, Senatum in Capitolium vocarunt. Ibi sententiis discreparum; cum alij populo summam Reip. restituendam; alij unum Principem eligendum censerent, atque hi rursus alius alij principatum deferret. Ita re infecta reliquum dici & nox tota absumpta est. Interim milites quidam, rapinae causa Palatium ingressi Claudium (qui propterea, quod cum Cajo agebat tum ultima meruens se abdiderat) in obscuro angulo occultatum inveniunt, primum proaxerunt: alium quendam esse, ac secum habere aliquid absconditum rati: mox cognitum Imperatorem salutaverunt ac in castra deduxerunt. Ibi omnium consensu militum ei, ordo nimirum Imperatorio genere ac bono viro Imperium est tributum. Consules cum aliquandiu missis Tribunis plebis ei edixissent, ne Principatum capesseret, sed sub populi Senatusque & Legum potestate esset: postquam à suis etiam militibus deserere se viderunt, ipsi quoque assensi sunt & imperium ei decreverunt.*

II. Aliquoties tamen Senatus, idque, quantum ex Romana historia colligere licet, ter tantum, aulus est ante militum suffragia creare Imperatores. Et hac ratione electi sunt: occiso Domitiano, Nerva: contra Maximinum Thracem, Caelius Balbinus & Pupienus: interfecto Aureliano, Tacitus.

III. Sed & ex prædecessorum voluntate & jure quasi hæreditario Imperium adepti sunt plurimi, quos omnes hic recensere nimis longum foret: plerosque collegit Onuphrius Panvinius. *libr. de Comitibus Imperialibus. cap. 1.*

IV. Ex his ergo constat variam fuisse Imperatorum

rūm Romanorum successionem; cuius constituendæ potestatem cum modo hi, modo illi ad se raperent, non potuit non ea res sæpius ingentes dare motus; idque factum esse docent historiæ. Sanè si etiam cœteris omnibus exclusis, penes solos milites (quemadmodum quoque ut plurimum fuit) fuisset electio, res turbis carere non potuisset. Quippe cum exercitus essent plurimi, ijque magnis à se invicem locorum intervallis disjuncti, omnes tamen idem in creando Imperatore jus sibi vindicarent; non poterat non contingere ut plures simul eligerentur: quibus deinde tamdiu inter se digladiandum erat, donec unus eorum, cœteris non sine ingenti Reip. clade everfis, solus rerum potiretur.

V. Constat quoque & illud pessimam tum fuisse reip. Romanæ conditionem; in qua omnia ferè penes milites eosque mercenarios & maximam partem barbaros, quibus de jure nihil in Rep. debebatur, fuce: quorum tanta fuit protervia ut vel minima, vel nulla demum de causa, solâ vel voluptate vel avaritiâ stimulati, dominos mutarent. Qua de re egregiè differit Erasmus *Præfatione ad Tranquillum ad Duces Saxonie*. Quin eo demum processere malitiæ ut Imperium palam venale proponerent, pluraque pollicenti darent; ut auctor est Herodianus. Quare quoque non est quod miremur adeo tum cecidisse reip. Romanam ut vix veteris gloriæ vestigia restarent: cum regnum in se divisum stare non posse & Sacræ literæ, & ipsa recta ratio, loquantur.

VI. Sed ad rem redeamus. Translato Imperij robore Constantinopolim à Constantino, duo cœpere esse Imperia: Occidentis alterum, cuius metropolis Roma: Orientis alterum, cuius metropolis Constantinopolis. Regebantur autem hæc Imperia modo à pluribus; modo

modò ab uno; quippe ea legè divisa erant, ut sibi mutuo succederent. Circa ipsam autem succedendi rationem nihil mutatum est; donec victo & tonso ab Herulis & Gothis Augustulo, desit Imperium occidentis. Tum enim, fortè quod res vires ipsorum excederet, quievere Imperatores, Gothique quietè Italiam possedere, donec tandem, nescio qua de causa, moto à Justiniano bello, per Narsetem & Bellisarium omninò victi sunt. Fuit tamen haud diuturnum hoc gaudium; nam offenso Narsete, & ab eo vocatis ex Pannonia Longobardis, quæ acquisiverat plerumque iterum amisit. Ea tamen quæ retinuit, in quibus & ipsa Urbs Roma fuit, deinceps ab Exarcho, quem Ravennam Imperatores mittebant, gubernata sunt, cujus, crescentibus quotidie Longobardorum rebus, vires adeo decrevere ut vix quicquam in illo Romanis auxiliij reliquum esset.

VII. Porrò imperante Constantinopoli Leone I. sauro exarsit gravissima de Imaginibus controversia, quæ adeò accendit animos, ut tandem à Pontifice Gregorio II. anathemate obstringeretur Imperator, eique vectigalia quæ hætenus Imperio pendebantur negarentur. Quin & Imperatorem creare voluerunt qui in Italia erant exercitus omnisque Italia, nisi Pontifex id prohibuisset, uti constat ex Paulo Warnefrido. *Hist. Longotard. l. 5. c. 44.* & Anastasio in *Vitâ Gregorij II.* Mansit tamen aliqua Constantinopolitanis Imperatoribus auctoritas: nam & cunctam Provinciam Italiæ literas supplices procrigendis imaginibus Constantinopolim misisse, & Papam, misso Constantinopolim legato, rogasse Imperatorem, veniret in Italiam & Romam & Italiam liberaret à Longobardis, auctor est idem Anastasius in *Vitis Gregorij II. & Zachariae.*

IIX. Pre-



IX. Premebant interea destitutos Græcorum auxilijs Romanos crebris irruptionibus Longobardi, confugere igitur ad Francorum opes longè lateq; tum per occidentem florentes; qui moti Pontificum quorum ob religionem magna apud omnes erat auctoritas, precibus, sæpius auxilio præsto fuere; & Longobardis modò auctoritate suâ, modò vi in ordinem redactis, non modò Romam liberarunt, sed & possessionibus non spernendis Romanam ornarunt Ecclesiam. Unde factum, ut Pontifex Romanus, qui jam antè tanquam Summus Ecclesiæ Christianæ antistes, summo à Christianis prosequeretur honore his auctus prædijs, paulatim majus sumpserit incrementum, donec ad id excrevit ejus potentia fastigium, ut nulla unquam major Christianæ Ecclesiæ tyrannis incubuerit. Verùm hæc aliò pertinent.

IX. Liberati crebris Francorum auxilijs Romani, Carolum, jam devicto Longobardorum regno victorijs clarum, Patricium sibi adscivere. Fuit autem jam tempore superiorum Imperatorum magna Patriciorum dignitas, utpote quos Patres Imperatoriæ Majestatis vocat Justinianus *l. 2. l. quibus mod. jus patr. potest solus*. Horum jam ferè obsoleta auctoritas tum deficientibus Imperatorum rebus, videtur revixisse; quodnam autem eorum fuerit officium videre est ex glossa antiqua in *c. Adrianus 63. distinct. Patricius*, ait illa, *Pater Papæ in temporalibus fuit, sicut Papa in spiritualibus ejus pater, qui a ipsa, ut Patres filijs, Reip. providebant.*

X. Postmodum verò Pontifex populusq; Romanus sive ut majorem referrent pro collatis in se beneficijs gratiam, sive ut tutiores ab hostium incurfibus essent, sive etiam ut vetus sibi iterum adsciscerent Imperij decus, Carolum jam Francorum Longobardorumque Regem, Pa-

B

trici-

triciūmque & Principem Romanum; nihil tale cogitantem ipsis ferijs Natalitijs Anno post natum Servatorem DCCCI imposto diademate Imperatorem salutarunt.

XI. Et hæc est celebris illa Romani Imperij à Græcis ad Francos translatio, quæ cujus auctoritate facta sit multis hætenus scriptis acerrimè agitarum est, alijs omnia, alijs nihil in hac causa Papæ deferentibus. Id sanè negandum non videtur haud exiguas fuisse Pontificis, utpote præcipui Reip. Romanæ membri, in hac translatione partes: at qui omnia ei adscribunt, magnam injuriam inferunt Romanis, quos nullo modo tunc fuisse Pontificis subditos, sed libero usos in declarando Imperatore Carolo suffragijs satis constat ex veteribus monumentis. Idque solidè probavit Clariss. Dominus Præses in *Tra-ctat. de Rom. Imp.* Unde simul quid eâ translatione ad Carolum devolutum sit abundè hauriri potest. Certe ipse Anastasius, maximus dignitatis Pontificiæ assertor, ab omnibus electum esse Carolum fatetur in *Vitâ leonis*. Et Pius II. ante Aeneas Sylvius, priusquam ad culmen pontificale eveheretur quid senserit, patet ex libro ejus de ortu Romani Imperij, quando ita ait: *Populus ille Romanus, qui suo sanguine paraverat imperium, Carolum Magnum primò Patricium, post Augustum concurrente Pontificis consensu salutavit.*

XII. Translata est autem procul dubio Imperatoria dignitas ad Carolum eo modo quo illam tenuerunt Imperatores Constantinopolitani; quippe in eorum jura successisse videtur Carolus. Fuit vero illorum dignitas hæreditaria, quare & talem translata esse in Carolum nulli dubitamus: quicquid dixerint Pontificum

cum

cum Baroni, qui etiam impoſterum Imperialem digni-  
tatem à Papa dependiſſe ſtatuunt. Uſus verò ſuo eſt jure  
Carolus, quando non conſulto Papa imperialis nomi-  
nis conſortem ſibi fecit filium Ludovicus, teſtibus An-  
nalibus Francicis: Uſus eo eſt & Ludovicum, dum primo-  
genitum filium ſine conſenſu Pontificis nominis atque  
Imperij conſortem fecit. Certè ita translata tum fuit in  
Francos Imperij Romani dignitas, ut non niſi penes Fran-  
corum reges, illa impoſterum foret. Ubi notandum ac-  
curatè, diverſam eſſe regni Francorum & Longobardo-  
rum ab Imperio Romano dignitatem: utpote quum verè  
tum temporis ſolâ Romanæ urbis & nonnullarum Ita-  
liæ regionum ſignificatione amplum illud nomen Impe-  
rij Romani ſteterit. Hinc ex iſto tempore penes Francos  
quidem ſolos fuit Imperatoris conſtitutio in occidente,  
non minùs atque apud illos fuit Regem ſibi creare: inte-  
rim non omnis Rex Francorum ſtatim & Imperatoriam  
naçtus eſt dignitatem.

XIII. Gente Germanus fuit Carolus; adeoquæ  
modo gentibus Germanicis jam olim, teſte Tacito, uſi-  
tato, quo hodiequæ Poloni & Dani utuntur, ipſosquæ  
Francos uſus eſſe docet Hottomann. *Franco Gall. c. 6. &*  
*Lehm. Chron. Spirenf. l. 2. cap. 3.* ab omni populo, habitâ  
tamen nobilitatis & nativitatis ratione, Rex Francorum  
electus eſt. Eginhartus. *Obijt Pipinus ſuperſtiribus liberis,*  
*Carolo & Carolomanno, ad quos ſucceſſio regni divino nutu*  
*pervenerat. Franci ſiquidem factò ſolemniter generali conventu*  
*ambos ſibi Reges conſtituunt.* Idem Eginhartus. *Carolus*  
*autem, fratre defuncto, conſenſu omnium Rex Francorum con-*  
*ſtituitur.*

XIV. Sed hic iterum litem movent Pontificiæ  
auctoritatis adſertores. Eſt enim hanc Caroli ſucceſſi-

onem indubium vocare nequeant, asserunt tamen Pipinum Caroli Patrem, adeoque & ipsum Carolum à Papa Regnum Francorum habere. Verum ex ipsa tantum rei narratione quantoperè fallantur apparebit. Torpebant nimio otio Francorum Reges gentis Meroveæ, omniaq; Regni negotia Palatii Comites administrabant, solum nomen & cultus regius Regibus supererat: quare Pipinus & ipse Palatii Comes in id tandem cæpit incumbere, ut se regijs oppressum negotijs, Regiâ quoque dignitate ornarent Franci. Res hæc ardua meliorem habita est sortitura exitum, si ob religionis opinionem res deferretur ad Pontificem. Missi Legati promptum invenere Pontificem. Ex his quæ Pontificis fuerint partes quilibet sanus facilè perspicit. Aliud enim est Regem creare, aliud creandi consilium dare, aut declarare suo testimonio quid populo liceat in rege creando. Aliud jus creandi habere, aliud jus consilij dandi. Quanquam consilij in hujusmodi rebus dandi jus nemo habet nisi à quo petitur. Sigon. Alb. Stadens. Hottoman. *Franco Gall. c. 15.* Et Lupoldus de Bapenberg. in *Tractat. de jur. Regn. & imper.* ait: *Zacharias deposuit Regem Francorum, expone, id est, deponendum consuluit & confesit.*

XV. Videamus nunc de Successoribus Caroli Magni. Et filium quidem Ludovicum à Patre etiam vivente in societatem regni assumptum supra jam diximus. Clara sunt Eginharti verba. *Quumq; jam morbo & senectute premeretur Carolus, advocatum ad se Ludovicum Aquitania Regem, qui solus filiorum Heldegardis superaret, congregatis solenniter de toto regno Francorum primoribus, cum eorum consilio, consortem sibi totius Regni, & imperialis nominis heredem constituit: impositiq; capiti ejus diademate Imperatorem & Augustum iuste appellari.* In quibus duo huc  
are in pri-

in primis notanda. Primò quòd Francòrum consensu  
constituerit Regem, filium Ludovicum Carolus. Dein-  
de quòd interveniente eorundem consensu Imperatorem  
eum appellaverit, nullâ Papæ, nullâ Populi Romani fa-  
ctâ mentione. Unde colligere licet, fuisse hanc Caroli  
sententiam; dignitatem Imperialem à se acquisitam etiam  
esse in patrimonio Francorum; adeoque licere illis ut re-  
gem Francorum ita & imperatorem secundùm antiquam  
consuetudinem creare.

XVI. Ludovicus itidem vivus consortem imperij  
assumpsit filium Lotharium. Annales Franc. ad annum  
817. *Generalem populi sui conventum Aquisgrani habuit more  
solito: in quo filium suum primogenitum Lotharium coronavit, &  
nominis atq; imperij sui socium constituit: ceteros Reges apella-  
tos, unum Aquitaniae, alterum Bajoariae praefecit.* Fratres tamen  
hac non contenti divisione, post obitum Patris grande si-  
bi invicem bellum moverunt, donec tandem de conditi-  
onibus his inter ipsos convenit, ut Lotharius nomen Im-  
peratorium, Italiam, Provinciam & Lotharingiam habe-  
ret, Carolus regna Occidentalia à Britannico oceano us-  
que ad Mosam, Ludovicus regna orientalia, omnem scil.  
Germaniam usque ad Rhenum, & aliquas trans Rhenum  
civitates. Regino. Sigebert. Eadem postea in familia  
Carolina obtinuit succedendi ratio, ut interveniente  
Francorum consensu regna inter liberos dividerentur, ita  
tamen ut omnia manerent libera, & nullum in alterum a-  
liquod sibi juris vindicare posset: quæ singula hic comme-  
morare fortè non est opus, sufficiat insigniora attulisse  
exempla. Illud hic omittendum non est, habita hujus  
divisionis ratione, neminem postea Carolinorum Impe-  
ratorem se dixisse qui non & ipse Italiae & Romæ Domi-  
nus esset. *Lehm. lib. 2. c. 46.*

XVII. Usque adeò autem defecit crebris his divisionibus Regnum Carolinorum, ut tempore Arnulphi pars Italiæ Regem sibi eligeret Berengarium, pars Widonem Ducem Spoletanum Imperatorem creare ausa sit: Victus tamen ab Arnolpho est Wido, & Arnulphus Romæ à formoso Papa coronatus.

XVIII. At extinctâ in Germania Carolinâ familiâ, liberrimâ Francorum Saxonumq; electione Regnum Germaniæ, aut, ut tunc vocari solitum, Regnum Francorum orientale delatum est Ottoni Saxoni. Recusavit autem ille ob senium illud onus, ejusque consilio electus est Conradus Dux Francorum orientalium; qui tamen ex stirpe Carolina descendisse à quibusdam perhibetur. Witikindus Corbejensis: *Regi Ludovico non erat filius, omnisq; populus Francorum atq; Saxonum querebat Ottoni diadema imponere regni: Ipse vero, quia jam gravior, recusabat onus Imperij, ejus tamen consilio Conradus quondam dux Francorum, eligitur in Regem.* Post cujus obitum liberrimâ iterum electione, & Conradi jam in agone agentis consilio, ad idem regnum evectus est Henricus filius Ottonis Auceps postea dictus. Lutprand. lib. 7. c. 7. testatur in hæc verba morti jam vicinum Conradum allocutum esse proceres: *Henricum Saxonum & Thuringorum Ducem prudentissimum Regem eligite, Dominum constituite. Is enim est & scientiâ pollens, & justæ severitatis censura abundans, cui ut obediatis, non tantum consulo sed & oro:* De Ottone primo clara sunt verba Witikindi lib. 1. sub finem. *Henricus Rex cum se gravari jam morbo sensisset, convocato omni populo designavit filium suum Ottonem Regem.*

XIX. Neglexerat Henricus Rex Italiam solâ contentus Germaniâ, & ne quidem invitatus à Papa nomen Imperatorium voluerat recipere Viterbiensi teste. Verum

rùm Otto, & Italiam & Urbem Romam, quam nonnul-  
li ex populo jam in suam potestatem redegerant, suæ sub-  
jecit rursus potestati, Imperatorque omnium consen-  
su dictus, omnem dignitatem Imperatoriam ad Germa-  
nos transtulit: quemadmodum id egregiè demonstrat  
Clariss. Dn. Præses. *Tract. de imperat. Rom. cap. 10.* Et ex-  
inde factum, ut qui deinceps Germaniæ Reges creati  
sunt, simul & jura Imperatoria sint adepti, utut Impera-  
torio nomine ante coronationem Pontificiam sæpius  
abstinuerint, adeoque una ex eo tempore fuit & Regis  
Germaniæ & Imperatoris Romani constitutio, utpote  
quum hæ dignitates ex eo indissolubili vinculo cohæse-  
rint, adeo ut tandem ipsa quoque Germania & in Italia  
regnum Longobardicum vulgò appellatione Imperij Ro-  
mani cæperint usurpari.

XX. Fuit autem is, quem hætenus explicavimus  
in Germaniæ regno succedendi modus in usu, ad Henri-  
cum usque IV. Qui cum eodem modo adhuc puer ad-  
eptus esset Imperium, optimam hanc & hætenus maxi-  
mo Germaniæ bono frequentatam succedendi ratio-  
nem turbavit Papa Gregorius VII. Spernebant pueri  
Imperium Proceres; & fortè ipse jam adultior, non ita  
ut debebat administrabat Regnum. Usus ergò oblatâ  
occasione homo superbissimus, & quem soli sui Dicta-  
tus æternum damnabunt, rebellantes jam Principes  
confirmat, imperatorem anathemate ferit, & quod an-  
tè auditum erat nunquam, regno dejici mandat. Pa-  
rent rebelles Imperatorij Principes, & Rudolphum eli-  
gunt; factaque tum Constitutio quam Auctor Belli Sa-  
xonici refert, his verbis. *Hoc sibi communi consensu proba-  
tum; Romani Pontificis auctoritate est corroboratum, ut Regia  
potestas nulli per hereditatem cederet, sed filius Regis, etiamsi  
valdè*

valde dignus esset, per electionem spontaneam non per successio-  
nis lineam proveniret. Si verò non esset dignus Regis filius, vel  
si eum nollet populus, quem Regem facere vellet, in potestate habe-  
ret populus.

XXI. Licet verò à rebellibus tantùm Imperij  
Principibus lata fuerit hæc constitutio, fractâ tamen  
majestatis Imperiali, & degenerante Imperio deinceps  
per aliquod tempus in anarchiam ferè, hæreditaria de-  
inde successio planè sublata est. Quæ res quàm ingen-  
tes dederit turbas loquuntur omnes illius ævi historia.  
Etenim cum saluberrimo instituto non exigua habere-  
tur sanguinis ratio, hoc unico quasi repagulo quo fero-  
ces Principum cohiberentur animi remoto, & effrenem  
nati Proceres potestatem, non potuere non maximis  
omnia miscere motibus. Dum enim quisque sibi ut  
digniori, potentiori aut opulentiore primas quoque in  
rep. arrogare contendit, electi sunt eodem tempore plu-  
res, qui inter se commissi totam ferè Germaniam ever-  
terunt. Accessit ingens illa Pontificum improbitas,  
qui, quòd res Gregorio satis benè successerat, ferocios  
redditi, omnia deinceps susque deque habere, & modò  
in hunc modò in illum gladio suo spirituali furere, nun-  
quam non desiere, dummodò sibi suæque consulerent  
avaritiam. Quâ in re quam bene secuti sint exempla Ser-  
vatoris & Petri, quorum Vicarij & successoris haberi vo-  
lunt, ipse viderint.

XXII. Vidimus hætenus successionem Imperij  
partim fuisse hæreditariam, partim electivam. Viden-  
dum demum penes quos illa electio tum fuerit, & pe-  
nes quos nunc sit. Factam autem fuisse ab omnibus vel  
ex ijs quâ supra attulimus, testimonijs satis constat; in-  
quibus subinde, omnium, cunctorum, totius denique  
popul



populi fit mentio: idque de Principibus, Episcopis & Nobilibus nemo fortè negaverit. De Civitatibus id negat Bellarminus *lib. 3. de Translat. Imperij*. Refutatur verò & multis & præclaris testimonijs à Lechmanno Chron. Spirens. *lib. 5. cap. 17.* Certè vel ex electione Heinrici II. constat rem aliter se habere. Etenim cum is Sigfridum Archiepiscopum Coloniensem rogasset, ut se in consequendo Imperio juvaret; respondit ille: *Quò melior & major pars. populi se inclinaverit libenter se assensurum.* Dithmarus *lib. 4.* Populum autem includere etiam Civitates, vel ipsa recta ratio docet: quin & Radevicus *de reb gest. Frideric. lib. 2.* ubi cæteri Scriptores voce populi utuntur, expressè dicit *Consules, Civitatumque judices.* Hodie cæteris omnibus exclusis soli Septem Principes, Tres Ecclesiastici, Archiepiscopus Moguntinus, Archiepiscopus Coloniensis, Archiepiscopus Trevirensis; Quatuor seculares, Rex Bohemiæ, palatinus Rheni, Dux Saxonie, Marchio Brandenburgensis Imperatorem eligunt; dicunturque à numero Septemviri, ab officio Electores, Germanicè *Churfürsten* aut significantius vetere Saxonico idiotismo *Körvörsten*. Id verò quando cœperit, nunc est investigandum.

XXIII. Communis & constans per duo secula, & quod excurrit, ab anno videlicet 1250. ad annum circiter 1500 fuit opinio, Ottonem III. Imperatorem & Gregorium V. Pontificem septem Electores instituisse: in eo tantum discrepant auctores, quod quidam, ut alia omnia, ita & hanc Electorum constitutionem adscribant Pontifici: quidam verò id negent. Acriter in primis causam Pontificis defendunt Hostiens. *in cap. Venerabilem de elect.* platina *in Vita Gregorij V.* Molin. *Tr. 2. disp. 24. de Just. & Jur.* & contra Illyricum acerrimè Bellarminus *lib. 3. de translat. imp. c. 4. & seqq.*

C

Nec

Nec adeo pridem! Electori Bavaro idem persuadere est conatus Michael Lonigus in Consilio ad Gregorium XV de adhortando Bavariæ Duce ad petenda dignitatis Electoralis confirmationem à Pontifice. Primus autem receptam hanc sententiam publicè edito elegantissimo libello, quem inscripsit de Comitibus Imperatoribus, oppugnavit Onuphrius Panvinius Veronensis, frater Eremita Augustinianus; cum tamen ejus falsitatem, sed leviter tantum, jam antè perstrinxisset Ioannes Aventinus, in annalibus Bajoaricis, ut testatur ipse Onuphrius *d. lib. c. 6.* Nos pro ratione instituti paucis rem explicare conabimur: plura peti possunt ex Onuphrio *d. lib. c. 6.* Lehm. *Chron. Spirens. lib. 5. c. 17.* Arniseo *de Rep. c. 6.* Quorum duo hi posteriores etiam Bellarmini argumenta singulatim refellunt.

XXIV. Certum autem omninò est non exstare ullam sive Ottonis sive Gregorij de Electorum institutione constitutionem, neque enim hætenus à quoquam in lucem producta est, neque verò produci potuit. Illud quoque dubio caret, neminem scriptorum ab Ottonis ætate ad Fridericum usque II per ducentos quadraginta, & quod excurrit, annos, hujus constitutionis aut ipsorum Electorum aliquam saltem facere mentionem. Certè Gratianus qui circa annum Christi MCLII. Decreta, constitutiones & statuta Pontificum descripsit, ne verbo quidem hujus constitutionis meminit. Exstat quoque hodieque in Basilica Divi Petri elogium sepulcræ Gregorij V. in quo omnia præclare ab ipso gesta enumerantur, hujus tamen constitutionis nulla fit mentio. Probabile autem non est rem hanc tanti momenti in hoc monumento desiderari, & ab omnibus ejus ævi scriptoribus silentio esse præteritam.

XXV. Primum omnium qui Electorum faciat mentionem esse Martinum Polonum, ait ipse Baronius

*ad an.*

ad annum 990. num 70. Vixit autem Polonus circa tempora  
Friderici II. adeoque 250 circiter annis post Ottonem :  
quare vix ei fidem adhibere poterimus in ijs rebus quæ an-  
te ipsius tempora gestæ sunt, præsertim destitutis aliorum  
testimonijs. Quin nec ipse Polonus constitutionis alicu-  
jus meminit, nec tempore Ottonis coepisse electores di-  
cit, hoc tantum affirmat, post Ottonis tempora coepisse  
officiales Imperij eligere : quod & nos facile largimur.  
Verba ejus sunt. *Et licet tres isti Ottones per successionem generis  
regnaverint ; tamen postea fuit institutum ut per officiales impe-  
rij Imperator eligeretur, qui sunt septem &c.*

XXVI. Quin & evidenter probari potest, etiam post  
Ottonem tertium ad Fridericum II. usq; Imperatores non  
tantum septem illorum, sed aliorum etiam Principum suf-  
fragijs electos esse. De Henrico II, qui successit Ottoni III,  
ita Otto Frising. l. 6. c. 27. *Anno ab incarnatione Domini M. T.  
mortuo sine hærede Ottone III, Henricus, pater Hezilone, natione  
Noricus, ejusdemque gentis Dux, ab omnibus Regni proceribus e-  
lectus LXXXVII ab Augusto creatur. De Conrado successore  
Henrici idem Frising. d. l. c. 28. Anno ab incarnatione MXXV.  
defuncto sine filiis Henrico, Conradus natione Francus, consilio an-  
ecessoris sui, cujus tamen dum adhuc viveret gratiâ carebat ab o-  
mnibus electus LXXXVIII ab Augusto regnum sortitur. Verum  
omnia scriptorum testimonia paucis his pagellis injicere  
non licet : videri ea possunt apud Onuphr. dict. lib. de  
Comitijs Imper. cap. 6. Breviter tamen, quid de sequenti-  
bus etiam Imperatoribus habeant scriptores, enumerabi-  
mus, secuti in eo Bellarminum dum summam demon-  
strationum Onuphrij recitat lib. 3. de Translat. Imp. cap. 2.  
De Henrico III, filio Conradi, qui parte vivente in Co-  
mitijs electus est, nemo scriptorum affirmat eum ab ele-  
ctoribus fuisse creatum ; quin rebellis tum fuit Bohemiarum  
Dux:*

Dux tantum abest ut hunc Imperatorem elegerit. Henricum IV. electum ab Episcopis & Principibus Germaniæ scribit Abbas Urspergensis in Chronico anni 1053. Henricum V. ab omnibus electum esse testatur idem Urspergensis in chronico anni 1106. Lotharium electum fuisse ab Archiepiscopis duobus, Episcopis octo, Abbatibus multis, & eminentioribus aulae Regalis primatibus, scribit continuator Sigeberti in chronico anni 1126. Conradum III electum à multis Principibus, non vocato etiam Saxone & vacante sede Maguntinâ, scribit Otto Frisingens. *lib. 7. cap. 22.* Fridericum I ab omnibus totius Germaniæ Principibus electum fuisse scribit idem Frisingens. *lib. 2. de reb. gest. Fridric. cap. 1.* Philippum à Suevis, Bavaris, Saxonibus: Ottonem IV, à Coloniensibus, Argentinesibus aliisque nonnullis electum, testis est Abbas Urspergensis in chronico. De electione verò ipsius Friderici II, ita loquitur idem Urspergensis. *Anno Domini MCCXX. Otto excommunicatus denunciatur. Tunc principes Alemannia, Rex videlicet Bohemia (qui paulo antè ex Duce assumptus fuerat ab Henrico IV, ad regnum) dux Austria, Dux Bavaria, Landgrafius Thuringia & alij complures convenientes, Fridericum Regem Sicilia elegerunt, cui etiam olim, cum adhuc in cunis esset, juraverant fidelitatem.*

XXVII. Ex his ergo clarè patet ad Fridericum II usque plerosque Principes, non solos Septemviros elegerunt imperatorem. Neque verò id negat, neque etiam negare potest Bellarminus. Quin gravia hæc esse argumenta, & à Viris prudentibus non contemnenda spontè fatetur. Quare eò demum redit ejus sententia, ut latam quidem hanc constitutionem tempore Ottonis III à Pontifice dicat, verum ante Friderici tempora in usum, quibusdam ex partibus, non fuisse deductam: Varias  
autem

autem fingit hujus constitutionis partes, quas nos hic, ut  
fictitias, non recensebimus. Ipsa enim constitutio cum in  
rerum natura non sit, neque unquam fuerit, liberum illi  
visum quidvis fingere.

XXVIII. In eo anxius laborat Bellarminus ut Ele-  
ctorum constitutionem soli Pontifici adscribat; licet  
quo tempore aut à quo Pontifice id factum sit ipse du-  
bitare videatur. Non disputabimus nunc an tale quid  
in Pontificem cadere possit jure divino, quippe id magis  
ad Theologorum Scholas pertinet, & egregiè actum est  
à multis: neque id nunc attingemus: nihil tale quid ju-  
re humano competere Pontifici, utpote qui Imperato-  
ribus subiectus fuerit & jure esse debeat: quod solide  
demonstravit Clar. Dn. Præses in *Tractatu de Imperatore  
Romano*. Argumenta Bellarmini quæ habet *lib. 3. cap. 3.* pau-  
cis videbimus. Et primo quidem nititur testimonio  
Pontificum ipsorum in *cap. Venerabilem. extr. de elect. &  
Decreti Concilij Vinensis quod extat in Clementina, Romani  
Principes: de jurejur.* Verum præterquam quod multa falsa  
hæc contineat, sunt etiam domestica testimonia, qui-  
bus adhibere fidem, stolidum foret. Testimonia autem  
scriptorum Germanorum, quæ producit, juniora sunt,  
quàm ut illis, in hac causa, credere tutò liceat (& jam an-  
tè diximus, communem hunc fuisse errorem, primumque  
ab Onuphrio refutatum. Sed nec omnes id quod vult  
Bellarminus loquuntur. Nam Jordanus ad Carolum  
M. principium electionis, non verò ad Pontificem re-  
fert. Et Naucerus diversas tantum de hac re opiniones  
recenset. Magnum sententiæ suæ robur ponere videtur  
Bellarminus in Instrumento electorum ad Nicolaum  
III, misso. At verò illud à tribus tantum subscriptum  
ex Goldasto respondet Arnifæus *de Rep. c. 6.* Et quis mi-

retur: vigente maximè Pontificis tyrannide, tale quid à Clericis inprimis & alijs qui Pontificias partes tuebantur profectum esse, accedente præsertim specie superstitionis, & juris Pontificij, quod tum maximè ubique vigebat auctoritate? Et verò quum regni Germanici dispositionem nullo prætextu Pontifices ad se possint trahere, quin multi eorum apertè sint fassi nihil illud ad se pertinere, quomodo Pontifex potuit præscribere Germanis rationem eligendi Regis? Nec est quòd dicas Imperij Romani, prout illud est aliquid à regno Germanico distinctum, curam Pontificij esse juris. Fac enim ita esse, tamen postquam semel convenerat ut is esset Imperator quem Germani constituerent Regem, circa modum eligendi regem & per consequens Imperatorem nihil ille decernere potuit. Bene verò est, licet inter Principes pro superiorum temporum conditione habuerint Papæ suos adultores, non defuisse tamen Germaniæ suos etiam libertatis defensores. Quantoperè Fridericus I & plerique Imperij Principes restiterint Pontifici videre est ex rescripto publico quòd factum est Bisuntij & extat apud Lehm. Chron. Spirens. *lib. 5. cap. 68.* Ludovicus quoque Bavarus, masculè conatibus Papæ se opposuit, quæ res haud parvas dedit in Germaniâ turbas: inter ipsos tamen Monachos defensores invenit, Wilhelmum Occam Ioh. de Gandavo, Marsilium Patavinum, & alios complures. Et ut vetera taceam, quàm egregiè gloriosissimus Imperator Ferdinandus I contra Pontificem volentem irritam facere ipsius electionem, quòd resignatio Imperij à Carolo V non in ipsius sed Electorum manus facta esset, Imperij decus defendit? Vide Seldium in *seinen Bedencken.*

XXIX. Sed redeamus unde digressi sumus. Ortoni

roni IV, cœtaneo Friderici II nonnulli quoque Electorum  
constitutionem adscribunt, factam scilicet in Comitibus Fran-  
cofurtensibus. Sed responderet illis Goldastus ipse qui con-  
stitutionem hanc ediderat. *Pace illorum liceat fateri quod  
res est. Imposuerat mihi Marquardus Freherus, qui illud decre-  
tum suâ manu exscriptum sub nomine Ottonis IV ad me transmis-  
sit, ego per rō alii communicando & in Constitutiones imperiales  
referendo, sine dolo tamen & fraude: comperi enim postea illud  
decretum non esse Ottonis IV, sed à Iohanne Baptista Egnario in  
vita Ottonis IV confectum, probabilius quidem juxta veterum opi-  
nionem quam verius.*

**XXX.** Friderico denique II multi etiam ma-  
gni nominis viri constitutionem Electorum adscribunt.  
Et sanè fatendum est post ejus tempora magis magisque  
ad pauciores redactam esse eligendi potestatem. Sed nec  
huic opinioni accedere nobis licet. Etenim hæc quo-  
que constitutio à nemine unquam mortalium visa est  
neque credibile est tot Principes unâ aliquâ motos con-  
stitutione tanto suo juri statim cessisse. Quod autem Abbas  
Tritthemius Wilhelmum Hollandum Friderici cœta-  
neum ab Electoribus electum scribit, veremur sanè ne id  
veterum testimonio scriptorum destitutus faciat, & se-  
cundùm mores sui æviloquatur. Quin fortassis non in-  
commodè hic locus explicari potest, quòd jam tum ma-  
gnam in electione obtinuerint ij Principes qui hodie  
Electores dicuntur, auctoritatem; quod certè negari  
non potest. Clara sunt hæc de re verba Epkonis à Repkau  
in Speculo Saxonico art. 57. *In Principis electione primus  
erit Episcopus Moguntinus, secundus Trevirensis, tertius Colo-  
niensis. Primus inter illustres regni Palatinus Rheni, qui est Da-  
pifer, secundus Dux Saxonie, Mareschallus, tertius Marchio Bran-  
deburgensis, Camerarius. Rex Bohemie Pincerna est, qui non  
eligia*

eligit quia non est nostra nationis. præter istos succedit etiam electio omnium principum Imperij tam clericorum quam laicorum, non quod sicuti prædicti secundum eorum placitum eligere debeant, sed quem omnes illustres eligunt, eundem præ cæteris in Regem nominabunt. Eandemque sententiam confirmat Abbas Staden-  
sis ad annum 140.: Papa Gregorius, inquit, insolentias metuens Imperatorias contra Ecclesiam, principes Germania super electione alterius sollicitavit, & nihil profecit, quia quidam principes rescripserunt, non esse sui juris Imperatorem constituere. Ad-  
dit deinde. Ex prætaxatione principum & consensu eligunt Imperatorem Trevirensis, Moguntinus & Coloniensis: & de secularibus elegit Palatinus quia Dapifer est, Dux Saxonie quia Mareschallus, & Margravius de Brandenburg quia Camerarius, Rex Bohemie quia Pincerna est, non eligit quia non est Teutonicus. Vbi nota quod dicat: quia officia illa habeant eligere Principes. Unde colligimus non parvam quoque occasionem, ad-  
piscendæ tantæ potestatis præbuisse hæc officia, de quibus infra th. 47. plura.

XXXI. Manifestum autem est ex his omnibus, jam horum Scriptorum tempore (vixerunt autem circa tempora Friderici II.) aliquam præ cæteris eorum Principum, qui hodiè Electores audiunt, in eligendo potestatem fuisse, at tamen non tantam quæ reliquos omnino excluderet. Unde concludimus: cum Friderico II. mortuo perturbatissimus esset Germaniæ status, & interregno multorum annorum Remp. fere nemo curaret, cæteris vel ob imbecillitatem vel ob negligentiam jura sua non satis tuentibus, (ut sanè ex illo tempore Ordinum pauci habuerunt curam totius Imperij, donec Maximilianus I, iustituit illam in Circulos divisionem & Cameram Spirensis,) hos ut potentiores sibi solis hoc juris sumpserunt. Confirmat hoc etiam Aurea  
Bulla



Bulla quando statim *lib. 1. ad laudabilem consuetudinem*  
provocat. Et in eadem nobiscum sententia sunt Onu-  
phrius *de Conciliis imperat. cap. 6.* Arnisaus *de Rep. cap. 6.*  
Carpzov. *de Leg. Reg. Germ. cap. 11 sect. 1.*

XXXII. Confirmata autem est hæc jam moribus in-  
troducãta consuetudo solenni & firma lege & quidem o-  
ptimo consilio, quod inter sit reip. quàm maximè ut sum-  
mum ipsius regimen firmiter sit constitutum, à Carolo  
IV, quam legem Auream Bullam vocamus: eaque tota e-  
ligendi ratio & omnis Electorum potestas continetur. Et  
verò ex eò demum Septem viri illi Electorium titulum  
suo nomini adjecerunt, crevitque illorum dignitas maxi-  
mè. Nos ex Aureâ illâ Bullâ, quæ ad nostrum institutum  
facere videbuntur, paucis excerpemus.

XXXIII. Et primò quidem quomodo deferatur ele-  
ctoralis dignitas videbimus. Ubi observandum, Electo-  
res *vi & virtute Regni & Principatum suorum* hoc juris adi-  
pisci *A. B. tit. 7.* Quod ita intelligendum est, ut, si Archie-  
piscopi Archiepiscopatus suos, Rex Bohemiæ Bohemi-  
am, Palatinus Palatinatum, Elector Saxonix Electora-  
lem ducatum Saxonix, Brandenburgicus Electoralem su-  
am terram legitimè acquisierint, eligendi quoque jus  
obtineant. Quare non simpliciter personæ, sed qua-  
tenus ea terram electoralem possidet, hæc cohæret di-  
gnitas. Et Ecclesiastici quidem Electores, ut alij  
Germaniæ episcopi, vel electione vel collatione institu-  
untur. Electio fit communi vel plurium Capitularium  
suffragio. In subsidium verò electionis introducãta est  
postulatio, ut eum quem eligere non licet, postulare li-  
ceat: petitque per eam Capitulum à superiore, ut eum  
sibi præficiat, quem eligere non licebat. Collatio fit ab  
Imperatore & Pontifice, si fortè emerferit aliqua in eli-

D

gendo

gendo difficultas. Et ita quidem hodie obtinet. Olim  
Apostoli, & hinc populus cum alijs episcopis Episcopos  
elgebant. Verum post Imperatores & Reges amplexi fi-  
dem Christianam paulatim hoc sibi sumplerunt; cum-  
primis postquam Episcopi invidendis opibus cœpe-  
runt eminere & ad Reip. consilia admoventi, prudenter  
existimantes sua multum interesse quibusnam tanta po-  
testas, tantæque facultates concederentur, simul etiam  
ut esset unde benemeritis possent tribuere beneficium.  
Hinc valdè conqueritur Baronius ad ann. DLIX. à Re-  
gibus esse præsumtum jus præficiendi ecclesijs pastori-  
bus destitutis Episcopos hoc seculo tum in occidente,  
tum in oriente. Viguit ea consuetudo in Germania  
quoque usque ad Gregorium VII: qui hac etiam de  
causâ litem Henrico IV. movit. Res varijs agitata bel-  
lis eò tandem devenit, ut Henricus V. juri suo cedere  
coactus sit. Ubi dimidium eum majestatis perdidisse re-  
ctè judicat Onuphrius ad Platinam. Ex ea transactione  
ad Pontificem devoluta est confirmatio Archiepiscopo-  
rum per baculum: ad Imperatorem collatio bonorum  
temporalium per sceptrum, reverà in speciem magis,  
quàm ut arbitrio Cæsaris multum hac in re manserit reli-  
quum. Postea tamen omnia ferè ad se traxere Pontifices,  
coactique Episcopi Germani multis aureorum millibus  
pallium, quod vocant, redimere: donec iterum eâ de re  
inter Nicolaum V. & Fridericum III. transactum est, quæ  
pacta hodieque in curia Romana vocantur Concordata  
nationis Germanicæ in curiâ Romanâ. Secundum ea  
sola ferè electio obtinet, nisi quòd emergentibus quibus-  
dam difficultatibus aliquando licet Imperatori & Pontifici  
Episcopum constituere.

XXXIV. Et hæc de Ecclesiasticis, Seculares vel  
successi-

successione, vel nudâ Imperatoris collatione hanc dignitatem consequuntur. Successione: quamdiu aliquis ex familia sexus masculini laicus legitimè natus superest. Succedit autem semper filius primogenitus laicus: quem quia lex simpliciter vocat, non tam beneficio patris, quàm auctoritate legis hanc dignitatem consequitur. Vnde quoque spem certam & invariabilem habet, quæ ei neque testamento, neque pactis patris adimi potest. Privati enim dispositioni non amplius subjacet, quod à lege determinatum est: cum aliàs spes illa quam habent filij in hæreditate parentum variabilis sit, & tota ex futuro eventu dependeat *arg. l. 1. §. 21. ff. de collat. bon.* Excipimus hîc Regem Bohemiæ, quem & ipsa Aurea Bulla excipit *d. xiv. 7.* de cujus successione acerrimè cum armis his temporibus disceptatum sit, litem illam nostram non facimus.

XXXV. Iuri quidem naturali maximè consentaneum videtur ut omnes liberi in æquales succedant partes: quod etiam juri Romano civili convenit, ita tamen ut filij non excludant nepotes *§. cum filius & §. ult. l. de hæreditat. que ab intestat. & l. 2. 3. 4. C. de suis & legitim.* Sed cum fieri nequeat, ut regni dignitatem ac vim tueri exiguæ regni partes possint, omni ferè ævo à cultoribus gentibus receptum est, ut unus tantum succederet. Et sanè licet regnum fuerit pars vera hæreditatis, (quod tamen non est ubivis, certè in Germaniâ non nisi ex parte est,) tamen eâ est naturâ, ut divisionem quamvis non patiatur sine sui destructione. Cæterum unus ille successor, quis esse debeat, non omnes conveniunt. Primogenitum tamen seu natum majorem plures & cultiores sibi præficiendum putasse vel ex eo constat, quòd Herodot. *lib. 7.* hoc omnium populorum commune jus appellat.

Hodiè quoque in plerisque Regnis primogenitus succedit ; at modus succedendi secundùm leges cuiusque Regni variat. Et verò si id naturale est quod plerumque est convenientius , indubiè primogenitorum hoc jus quàm maximè est naturæ consentaneum. Nostris Electoribus quem modum succedendi lex præscribat videbimus.

XXXVI. Nominat lex primo loco primogenitum ejusque filium ; ijs autem non existentibus secundò genitum verbis expressis, & deinceps ejus filium. Est autem certa lèti *decisio in l. cum ita §. in fidei commissio ff. de legat. 2.* quod primò nominati primò quoque sint vocati. Primo à loco hîc nominatur primogenitus, hinc ejus filius ; inde secundò genitus, sub hac tamen conditione, si sine liberis decesserit primogenitus, cujus conditionis ea vis est, ut existentibus quibuscunq̃ue primogeniti legitimis masculis hæredibus, excludatur secundò genitus. De tertio genito non ita sunt expressa verba A. B. omninò tamen existimandum est, quod disposuit lex in ordine succedendi qui est inter secundo genitum & primogenitum, idem eam velle in ordine succedendi, qui est inter tertio genitum & secundo genitum : eadem enim utrobique militat ratio, & uti se habet ad primogenitum secundogenitus, ita procul dubio se habere debet tertio genitus ad secundogenitum. Et verò dum secundogeniti filium lex vocat, omninò excludit tertio genitum, nisi & ille sine liberis decedat, quæ conditio in prioribus adjecta erat. unde decidi potest quæstio, an tertio genitus excludat secundò geniti filium, & nepotes? Et vim inferunt textui qui tertio genitum præferunt ; etenim de filio expressa sunt verba textus: pro nepotibus quoque ratio legis & circumstantiæ præcedentes militant. Nec juvat quòd

quòd primogenituram non tempore natiuitatis sed suc-  
cessionis acquiri dicant: Etenim id contrariatur naturæ pri-  
mogenituræ, quæ ipso acquiritur momento quo quis in  
lucem editur, unde jus instantaneum & momentaneum  
à Ictis dicitur: Molin. *de Hispan. primogen. lib. 3. cap. 6. n. 36.*  
Engelbrecht. *Tract. de Successione in Electorat.* qui totam  
hanc materiam fusè persequitur. Magnific. Dn. Lampa-  
dius. *Tract. de Constitut. Imperij Romano Germanici. cap. 4.*  
Idque apertè etiam lex nostra probat, quando filium pri-  
mogeniti, cuius Pater Elector nunquam fuerat, ad succes-  
sionem vocat, qui admitti non posset si tempus delatæ  
successionis spectaretur.

XXXVII. Confirmant hanc nostram de succes-  
sione Electorum sententiam Capit. Metens. ibi: *Primo-  
genitus filius succedat in iis, sibi què soli jus & dominum compe-  
tat: Bulla Francofurtensis domus Saxonie: ibi: Sancti-  
mus quòd post dicti Venceslai Saxonie moderni & Lunebur-  
gensis ducis obitum primogenitus filius ipsius, & post ejus obi-  
tum senior filius, ex ordine genitura semper senior succedat. Si  
verò primogenitus Ducis Venceslai decesserit, masculini sexus  
laicis duntaxat legitimis heredibus non relietis, & tunc secun-  
dogenitus &c.* Eiusdemq; esse tenoris Bullam Palatinam à  
Sigismundo sub anno 1414. datam testatur Engelbrecht  
*d. Tractat.*

XXXVIII. Eadem erit agnatorum successio. Nam  
respectu primi acquirentis descendentium numero cen-  
sentur. Quare agnatos ex secundo genito agnatos ex ter-  
tiò genito secundum mentem A. B. excludere, non dubi-  
tamus asserere. Non enim simpliciter gradus aut ætatis  
prærogativa ponitur, sed in ordine genituræ, & quatenus  
quis primò nominatus est, Engelbrecht. *d. Tract.*

XXXIX. Collatione Imperatoris, & quidem solius,  
digni-

dignitas Electoralis acquiritur, si Principatus Electoralis  
quacunq; de causa vacet. *A. B. tit. 7.*

XL. Electoribus minorennibus tutores & admini-  
stratores præficiendi sunt donec legitimam attingant æ-  
tatem: quam in Electoribus decem & octo annos comple-  
tos censi vult *A. B. d. tit. 7.* Vti verò in successionebus, ita  
& in tutela hac discedit lex hæc publica à Regulis juris ci-  
vilis. Etenim oneri est vulgaris tutela & publicâ auctori-  
tate sustinenda. Vnde etiam justæ causæ, quæ ab hoc one-  
re excusent, proponuntur *tit. ff. de Excusat. tut.* Hæc in-  
gentia secum fert commoda potestatemque summam.  
Iure civili etiam testamento licet dare tutores, ijque præ-  
ponuntur adgnatis *arg. pr. l. de legitim. agnat. tutel.* Con-  
trarium hîc obtinet: Neque enim licet Electoribus testa-  
mento tutores dare, sed expressè hac lege cautum, ut fra-  
ter primogeniti senior tutor sit, qui, dum legitimam mi-  
norennis attigerit ætatem, jus, vocem & potestatem, &  
omnia ab ipsis dependentia habet.

XLI. Porro Electoribus quædam competunt u-  
niversis, quædam singulis. Univerſis competit jus & po-  
testas eligendi Imperatorem, ijsque solis: quia in re maxi-  
ma eorum potestas, & præ reliquis Principibus eminentia  
elucet. Modus eis in eligendo præscriptus peti potest  
ex *A. B.* Neque enim nostrum patitur institutum ea om-  
nia hîc persequi. Illud quæritur. An sicut eligendi,  
ita etiam deponendi Imperatoris jus habeant? Et qui-  
dem Aurea Bulla nihil hac de re habet. Ast historiæ ta-  
men depositum ab Electoribus Venceslaum testantur.  
Prætereâ soli quoque jus habent coronâ regni Germanici  
electum Imperatorem ornandi: altera Cæsarea corona-  
tione ad Papam pertinente. Illud quoque magnam arguit  
Electorum potentiam, quòd *A. B. l. 22.* sancitum est:  
debe-

debere eos solos quotannis, cæteris exclusis, convenire,  
& de rep. consilia conferre: quod etsi quovis anno factum  
non fuerit hætenus: aliquoties tamen ejusmodi comitia,  
**Churfürsten Tage** habita fuerunt.

**XLII.** Communia etiam sunt Electoribus, privi-  
legia quæ ijs tribuuntur passim in A. B. quorum tamen  
non pauca alijs quoque Principibus hodiè competunt.  
Sunt autem ferè hæc. Quòd auri & argenti fodinas, atque  
mineras stanni, cupri, plumbi, ferri, & alterius cujuscunq;  
generis metalli ac salis, tam inventas quàm inveniendas  
in posterum quibuscunq; temporibus jure & legitimè  
possidere possint cum omnibus juribus, nullo prorsus  
excepto, prout possunt seu consueverunt legitimè pos-  
sideri *A. B. tit. 9.* II. Quòd liceat illis Iudæos recipere,  
III. Telonia olim statuta & indicta percipere *A. B. tit. 9.*  
IV. Cudere monetam auream & argenteam *A. B. tit. 10.*  
V. Quòd possint à quibuscunq; Principibus, Magnati-  
bus, Comitibus ac alijs personis, quascunq; terras, ca-  
stra, possessiones sive bona emere, aut in obligationem  
recipere, sub talium rerum, castrorum, possessionum,  
prædiorum seu honorum conditione consueta, ut vide-  
licet propria recipiantur vel comparentur ut propria,  
libera vel ut libera, & ea quæ dependent in feudum, simi-  
liter emantur in feudum, seu comparata taliter tenean-  
tur. *A. B. tit. 10.* VI. Quòd electorum subditi ad cu-  
juscunq; actoris instantiam extra territorium, termi-  
nos ac limites eorum, ad quodcunq; aliud tribunal tra-  
hi seu vocari non debebant. *A. B. tit. 11.* VII. Quòd  
privilegia alijs statibus aut personis ab Imperatore  
concessa & concedenda non debeant aut possint liber-  
tatibus, jurisdictionibus, juribus & honoribus Electro-  
rum derogare *A. B. tit. 13.* IIX. Quòd, dum feudalia sua  
sive Regalia ab Imperatore recipiunt, ad dandum vel sol-

7  
vendum aliquid nulli penitus sint adstricti. *A. B. iii. 29.*  
Consecuti sunt & olim Electores privilegia, quæ omnia  
hic recensere non libet; neque verò facile nisi ex Archi-  
vis cujusq; Electoris haberi possunt.

XLIII. Nunc singulos videamus. Ecclesiastici Archi-  
Cancellarij vocantur. Quod quidem officium antiquum  
est; constat enim Carolum Magnum Cancellarios suos  
habuisse, qui Apocrisarij dicti sunt, eosque Episcopos  
Germanos Vid. *Lehm. Chron. Spirens. c. 7. l. 2.* Quando  
verò ad certos hos Archi Episcopatus restricta sit hæc di-  
gnitas, non ita constat. Illud certum est, in Aurea Bulla  
eas esse confirmatas. Archi Episcopus itaque Mogunti-  
nus, qui primus Electorum est, est Archi Cancellarius per  
Germaniam. Ei præ cæteris hoc proprium est: quòd va-  
cante Imperio literis parentibus significare tenetur Coe-  
lectoribus suis ut à die in literis expressa inter tres men-  
ses continuos ad eligendum Imperatorem Francofurtum  
ad Moenum conveniant, aut legatos suos mittant *A. B.*  
*vii. 2.* In ipsa etiam electione vota inquit ultimoque lo-  
co à Coelectoribus, rogatus mentem suam aperit *A. B.*  
*viii. 4.* Trevirensis Archicancellarius est per Galliam & Re-  
gnum Arelatense: quibus nominibus non integrâ Gal-  
lia, sed quicquid ejus ad regnum Burgundicum perti-  
nuit, quod seculo XI. Germaniæ jungi cœpit, intelligitur.  
Ei in electione primum competit suffragium *A. B. viii. 4.*  
Archiepiscopus Coloniensis Archicancellarius audit per  
Italiam, hoc est per regnum Longobardorum & reliqui-  
as veteris Imperij Romani. Ei votum secundum tribui-  
tur *A. B. viii. 4.* Præterea primum Regni scil. Germanorum  
imponit diadema *d. c. 4.*

XLIV. Inter seculares Electores primus est Rex  
Bohemiæ, cum sit Princeps coronatus & unctus *A. B. viii. 4.*  
*lib. 7.*



lib. 7. cui licet votum in electione denegent Speculum  
Saxonicum & Abbas Stadenfis, Aurea tamen Bulla ei ex-  
pressis verbis tertium votum tribuit. *tit. 4.* Unde liquet  
à more seculi decimi tertij discessum esse. Est prætereâ Pin-  
cerna Imperialis & tenetur Imperatori primum porrigere  
poculum in celebratione curiæ imperialis, non tamen  
sub coronâ regali, nisi id liberâ voluntate facere velit *A.*  
*B. tit. 4. & tit. 27.*

XLV. Secundum locum obtinet Palatinus  
Rheni, qui hac præ cæteris fruitur prærogativâ, quòd  
vacante Imperio in partibus Rheni & Sueviæ provisor  
sit Imperij; cum potestate judicia exercendi, ad be-  
neficia Ecclesiastica præsentandi, recolligendi redditus  
& proventus, & investiendi de feudis, juramenta fide-  
litas vice & nomine sacri Imperij recidiendi, quæ ta-  
men per Cæsarem Romanum postea electum, suo tem-  
pore omnia innovari, & de novo sibi juramenta ipsa  
præstari debebunt, feudis Principum duntaxat exce-  
ptis, & alijs quæ *Fahnen* vulgò appellantur, quorum  
investitura & collatio soli Imperatori vel Regi Roma-  
norum specialiter reservata est. Ipsi tamen Palatino  
omne genus alienationis seu obligationis interdictum  
est. Votum in electione habet quintum, & in celebra-  
tione curiæ imperialis Archidapiferi fungitur officio  
*A. B. tit. 27.* Illud quoque ipsi soli competit, quòd Im-  
perator super causis, quibus impetitus fuerit, coram eo,  
sed in ipsa imperiali curia debeat respondere *A. B. tit. 5.*  
Prætereâ in solenni processione gestat pomum imperiale  
*A. B. tit. 22.*

XLVI. Tertius inter seculares Electores Dux  
Saxonie est, cui, vacante Imperio, idem jus quod Pala-

E

tino

ino in partibus Rheni & Sueviae competere diximus, in locis ob Saxonica jura servantur concessum est *A. B. dict. vii. 5.* Quae sanctionis aureae verba paulò post tamen lites moverunt ex quo loco jurium Saxonorum invaluerunt Romana. Votum in electione habet quintum. In curia imperiali Archi Mareschalli fungitur officio *A. B. iii. 5.* praefertque Imperatori gladium evaginatum *A. B. iii. 26.*

**XLVII.** Comes Palatinus Rheni & Dux Saxoniae, uti diximus, vacante Imperio, negotia Imperij per Germaniam administrant. Vbi iterum nobis obloquuntur Pontificiae dignitatis adsertores. Nam ut alia omnia, ita vacante Imperio, quod totum ad Pontificem pertinere dicunt, ipsum quoque Vicariatus officio fungi volunt. Verùm hæc satis ex illis quæ supra diximus refelli possunt. Nos expressam habemus legem: eaque aliquoties in usum traducta est: quare equidem nihil illos moramur. Nec verò vel in ea quæ sunt verè veteris Imperij Romani ad Germanos delapsa, vel in reliqua Italiae ad regnum Longobardiae pertinentia, in quæ maximè Vicariatus jura sibi arrogat Papa, unquam legas à Germaniae aut Italiae ordinibus ejusmodi jus Papis esse concessum. Non potuit autem Papa nisi ex concessione accipere, utpote cum Longobardicum certè regnum Papæ nulla ex parte fuerit subiectum. Ex aduerso per Italianam Wenceslaus Vicarium constituit perpetuum Ducem Mediolanensem, si credimus Cardinali Tuscho, si alijs, Dux Sabaudiae ex Cæsarum constitutione hoc jure gaudet.

**XLIX.** Ultimus Electorum est Marchio Brandenburgur-

denburgensis. Ei votum competit sextum *A. B. tit. 4.*  
Fungitur in curiâ munere Archicamerarij, Imperato-  
rique aquam porrigit *A. B. tit. 27.* & in processione sce-  
ptrum præfert *tit. 22. & 26.*

XLIX. Commune omnibus his Electoribus se-  
cularibus esse, quòd quilibet eorum peculiare aliquod  
in curia imperiali obtineat officium, diximus. Ea  
officia quando hæreditaria esse ceperint ijs familijs,  
penes quas nunc sunt, non adeò manifestum est. Tem-  
pore Francorum talia officia fuisse demonstrat Leh-  
man. Chron. Spirens. *lib. 2. aliquot. capitib.* Sequen-  
tibus quoque temporibus ad ejusmodi officia Impera-  
tores Principibus Germaniæ usos esse ex VVitichin-  
do patet in coronatione Ottonis Magni: *lib. 2. de reb.*  
*gest. Saxon. ac. Otton.* Ait enim. *Divinâ deinde laude di-*  
*ctâ sacrificioq; solenniter celebrato, descendebat Rex ad pa-*  
*latium, & accedens ad mensam marmoream regio apparatu*  
*ornatum; resedit cum pontificibus & omni populo: duces ve-*  
*nò ministrabant.* Lothariorum Dux Giselbertus, ad cuius  
potestatem locus ille pertinebat, omnia procurabat: Everhar-  
dus mensæ præerat: Herimannus Francopincernis: Arnul-  
fus equestri ordini, & eligendis locandisque castris præerat.  
Fuit autem Everhardus Sueviæ, Arnulfus Baviariæ  
Dux. Nulla verò fit mentio earum familiarum quæ  
hodiè his præsunt officijs. Necesse itaque est post  
ea demum tempora ad has esse devoluta. Affirmat  
Freherus *cap. 15. de orig. Palatim.* Henricum II Episco-  
po Bambergensi dedisse hoc privilegium, ut ab eo  
acciperentur hæc officia: quod si verum est, fortassis  
tum quoque temporis ad has familias delata fuit hæc  
dignitas. Quicquid sit, non est dubitandum, quum

hujusmodi aulica officia sint præ alijs splendida, ex quo in certas familias illa collata sunt, etiam illas familias præ alijs coepisse dignitate eminere, adeoq; has præcipuè curiæ imperialis curam sibi arrogasse. Vnde non potuerunt non vacante Cæsareâ dignitate cum reipubl. tum inprimis novæ electionis vim ad se potissimum trahere. Habet porrò officialium illorum quilibet substitutum suum. Archipincerna, Vicepincernam de Limburg; Archidapifer, Magistrum coquinæ de Nordenberg: Archimarschallus, Vicemarschallum de Papenheim: Archicamerarius, Vicecamerarium de Falkenstein: quibus etiam ea quibus ministrarunt in curiâ Electores, instrumenta argentea, unâ cum equis quibus infederunt, cedunt *A. B. tit. 20.* Et cum Princeps aliquis præter Electores, aut non munitus singulari privilegio recipit feudum ab Imperatore, de sexaginta tribus, quæ tenetur solvere, marchis quilibet officialium illorum substitutus accipit decem marchas *A. B. tit. 29.*

L. Postremò dignitas Electoralis regulariter morte naturali finitur. Alijs de causis quomodo Elector excidere Electoratu possit expressum in *A. B.* non est. Est autem verisimile iisdem ex causis electoratu quem privari, ex quibus principatu privatur. Quippe dignitates & terras electorales indivisibili coherere nòdo suprà demonstravimus. Exemplum habemus in Iohanne Friderico Saxonie Electore, qui violatæ pacis & perduellionis à Carolo V condemnatus, ditione & dignitate excidit. Idem accidit nostrâ memoriâ Friderico Palatino, qui eorundem criminum factus reus, omni ditione & dignitate. Electo-  
rali

rali privatus est. Et hæc sunt quæ hæc vice de Electori-  
bus eorumque origine ex historijs & Aurea Bulla ex-  
cerpere visum fuit.

LI. Antequam autem hinc abeamus, observan-  
dum ducimus, moribus veteris Germaniæ valdè vi-  
deri commodam fuisse illam ex hæreditaria successio-  
ne & liberâ electione mistam constituendorum Regum  
rationem. Prorsus enim liberâ electio non convenis-  
set populo feroci & bellicoso, sed turbas plurimas de-  
disset. Merè autem hæreditariâ successione facilè ad  
ignavos aut malos devolvi imperium potuisset, quod  
illa ætate in rudi populo & feroci summè fuisset no-  
xium. Etiam hoc nomine ergo Gregorio VII & alijs  
Papis est quòd merito diras precetur Germania, qui  
populum & Principes à tam salutari instituto, cujusque  
ab antiquissimis temporibus in Germanicis gentibus  
usus fuerat, ad illam eligendi non libertatem, sed li-  
centiam vocarunt. Certè inter causas destructi regni  
Germanici hæc licentia una est potissimarum: quod  
multis ostendi posset si foret hujus instituti. Ex par-  
te correctum hoc malum est eligendi potestate ad  
Septem illos paucos contractâ: minores enim dissen-  
siones ex eo habuit electio. Regiæ tamen potestatis  
dissolutioni & casui, quod alterum est electionis ma-  
lum cautum non fuit. Benè scilicet ille apud barclajum  
Argenid. l. 2. *Ipsi Aquilij diverso è genere lecti quàm sæpè  
majestatis suæ vires his proditas curis fregerunt? Inter hos  
ille, cujus sanctiones aureas dicunt, ut filio regnum pararet,  
quo pretio suffragatores emit? Quo deinde sceptri incommo-  
do, cum solvendo non esset, publica iis vectigalia concessit?*

QA  
7A  
2116

qua primùm pignoris nomine occupata, mox isti imbecillitate  
vel errore regnantium in hereditarium verterunt. Certè  
optimo contigit Germaniæ, quòd ducentis jam annis  
amplius placuerit Electoribus ex parte illam cognati-  
cam successionem veterem rursus observare: quod  
nisi fuisset factum ne umbra quidem reip. jam su-  
peresset, utut & ita penè tota sit collapsa,  
aut in partes nunc  
abeat.

F I N I S.



M  
1717





S, *CELSISSIMIS.*  
 NCIPIBVS AC  
 MINIS,  
 RISTIANO  
 OVICO,  
 RGIO WIL-  
 LMO,  
 vicensium & Lu-  
 gensium  
 S GERMANIS,  
 Clementissimis,  
 n perpetuam.  
*Celsissimique Principes,*  
*ementissimi, Annus jam*  
*ntus cum Celsit. V.V. in*  
*ter asriperent: Ea tum*  
*git felicitas, quam opta-*  
*sus fueram nunquam ut*  
*Celsit. VV. esse, & ea-*  
*us Divi Georgii, Paren-*  
*VV. ad patriæ curam re-*  
*æ aspectu & alloquio frui.*  
*Etsi*

